

terri injecerit eis vinculum, et personas semel legitime exclusas ex nullo jure restituit ingressus religionis. Abbas, in c. *Quod Clericis*, numer. 40; de *Foro compet.*; Felinus, c. *Ecclesia sancte Mariæ*, numer. 79. de *Constit.*; Menochius, lib. II. de *Jurisdictione*, cap. viii, dubitat 1. citans alios quamplures, nonnullis exceptis, quos pariter allegat.

348. *Secus, si primum post clericatum conaretur vinculum injicere.* — Secus foret dicendum, si statutum laicale primum post adeptum clericatum conaretur clerico vinculum injicere, eumque ligare: ut puta si factum, in quo statuti laicalis obligatio fundatur superveniat primum clericatum jam suscepto; aut dictum statutum, v. g. super successione filius primogeniti datur primum post susceptum a secundo genito clericatum, vel monachatum. Quia istud statutum laicale non posset ligare clericum juxta dicta num. 324 et 325, atque ideo in tali casu secundo genitus deberet admitti ad hereditatem unicum primogenito. Abbas, cit. numer. 40, et in c. *Ecclesia sancte Mariæ*, numer. 36; Joan. Andreas, ubi supra, et alii.

349. *Declaratur regula solvendo notabilem instantiam.* — Objicies contra hoc claritatis gratia. Si statutum laicale, quod injecit vinculum ante clericatum, obligat clericos post clericatum, ergo ferme omnia statuta laicorum obligant clericos: atqui hoc videtur absurdum; ergo. Prebatur sequela: Omnes clerici nascuntur laici, et sic ante susceptum clericatum subjiuntur statutis laicorum pro tunc jam extantibus; ergo, cum statuta laicorum semel injecerint vinculum, ipsis etiam post susceptum clericatum clerici manebunt obstricti. Resp. neg. sequel. cum sua probatione. Nam dictum illud, quod statutum laicale, si injecit vinculum ante clericatum, obliget, seu comprehendat clericos post clericatum, tunc solummodo procedit, quando non solvantur antea editum fuit statutum laicale, sed insuper jus agendi vitalis statuti oritur ex facto, vel quasi facto ante clericatum susceptum peracto, prout v. g. jus succedendi oritur ex facto, videlicet ex morte parentis, vel avi; sicut etiam jus primogenituræ ex facto, hoc est ex nativitate primo loco facta oritur, ac etiam vivente patre producit effectum, can. *Quam periculum sum*, 7. quæst. 1. si eque jam ante clericatum secundo geniti fuit radicatum, et acquisitum primogenito. Secus est, quando jus agendi oritur ex facto, vel quasi facto, post clericatum: quia enim

tunc tempore facti, persona effecta est ecclesiastica, sique extra jurisdictionem saccularem, hoc ipso statutum laicale, saltem præjudiciale, illam non ligat, quamvis jam ante clericatum ipsius fuerit editum. Alexander, lib. II. consil. 211. n. 9; Sperellus, dec. 12, n. 21, et seqq. et alii, quos citant.

350. *Statutum laicale præjudicans immunitati ecclesiasticæ, aut favori religionis non valet. Ut si statuat, quod ingrediens religionem non succedat in hæreditate.* — Additur notanter num. 347. « Nec præjudicium immunitati ecclesiasticæ, aut favori religionis. » Siquidem talia statuta laicorum ipso jure sunt nulla, et invalida, cap. ult. de *Rebus eccles. non alien.* et c. *Nimis de Jurejur.* et c. *Quantum. de Censibus*, in 6, cum similibus. Unde non valet statutum laicale, quod ingrediens monasterium, aut assumens clericatum, non succedat in hæreditate: nam tale statutum indirecte abstraheret homines a vita contemplativa, et ingressu monasteriorum, sive clericatu; sique pugnaret contra favorem religionis, ac libertatem ecclesiasticam. Abbas, loc. cit. n. 35, id pluribus aliis probans, et allegans communem doctorum, contra Baldum in l. fin. C. de *Pactis.* et l. *Deo nobis. C. de Episc. et cleric.*

§ XV.

DE INTERPRETATIONE LEGUM, SIVE CONSTITUTIONUM.

351. *Interpretatio generatim, quid? Alia fit per modum declarationis, alia per modum suppletionis.* — Queritur I. Quid sit interpretatio legum, præsertim proprie dicta? Resp. Interpretatio generatim aliud non est, quam congrua verbi, vel sententiæ per aliud clarius explicatio. Et fit duobus modis, videlicet per modum declarationis, vel per modum suppletionis. Card. Tuschus, lit. I, concl. 327, n. 1; Fagnanus in c. *Quoniam*, n. 19, de *Constitut.* et alii.

352. *Prior dicitur litteralis; nec est proprie interpretatio.* — Priori modo, sive per modum declarationis, fit interpretatio legis, quando verba ipsius per alia clariora verba exponuntur. Et hæc dicitur *litteralis interpretatio*, eo quod per seipsam verbum, et verbi sensus, sive constructio, quasi grammaticaliter ad litteram, seu intelligibiliter exprimitur; ut notatur in c. *Exiit. § Itaque, de Verb. signif.*, in 6. Talis tamen proprie non est

§ XV. DE INTERPRETATIONE LEGUM, SIVE CONSTITUTIONUM.

interpretatio, quia nihil novi adducit, sed tantummodo id, quod verbis legis jam inerat, aliis verbis clarius exponit: ac proinde potius censetur esse *Declaratio*. Quamvis enim hæc vox *interpretatio* quandoque accipiatur pro *declaratione*, ut fit l. I. ff. *Si certum petatur*, et alibi: stricte tamen loquendo differunt. Quia cum exponimus illud, quod verbis legis comprehenditur, legem proprie non interpretamur, sed declaramus: ut notat Bartolus in l. *Gallus. § Etiam si parente*, n. 1. et ibi Jason, num. 4. ff. *de Liberis et posthum.*; Fagnanus, loc. cit. n. 19, et alii. Interpretatio autem proprie dicitur, quando a verbis legis receditur, et mens ejusdem ponderatur, ac præponitur, ut mox amplius dicetur.

353. *Posterior est proprie interpretatio, et quid sit?* — Posteriori modo, sive per modum suppletionis, fit interpretatio, quando declaratur obscuritas sensus legis, non spectando nudam litteram, et corticem verborum, sed verba simulque mentem ipsius, et sic declarando, quod lex ad hujusmodi casum sit extensa, vel non extensa. Et hæc est proprie interpretatio: supplens, quod verbis legis deerat, sed non menti: sed aliud est, quam ampliatio quædam, ex similitudine proveniens, vel identitate rationis, ut inquit Joan. Montaigne *Tractatum*, tom. IX. tract. de *Bigamia.*, quæst. 4, num. 2, citans alios. Et desumitur hoc ex c. *In his 45. de Verb. signif.* ubi pontifex factæ a se interpretationis allegat hanc rationem: « Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem: cum non intentio sed verba intentioni debeant deservire: interpretamur, » etc.

354. *Afferuntur quædam hujus exempla.* — Id ipsum amplius firmatur, atque ostenditur exemplis: sic quippe in l. *Justa interpretatione*, ff. *de Verb. signif.* habetur quod justa interpretatione, appellatione filii, nepos comprehendatur, et patris nomine avus demonstrari intelligatur. Concordat textus in § 4. *Instit. de Legitima patron., tutel.* ubi in simili dicitur: « Non quia nominatim in ea lege de hac tutela cavetur, sed quia perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset. » Ad idem facit textus in l. *Gallus. §. Quid si is.* et §. *Etiam si parente.* ff. *de Liberis et posthum.* Ubi similis interpretatio admittitur, extendendo dispositionem legis ad casum in ea non expressum. Tacentur alii consimiles casus.

355. *Concessa potestate interpretandi statuta,*

qualis concedatur? — Atque ista esse mente tenenda propter statuta, quæ dant potestatem interpretandi statuta aliquibus jurisperitis (nam ex prædictis patet, quam potestatem habebunt, faciendi videlicet interpretationem proprie dictam) recte notat Rogerius *Tractatum*, tom. I. tract. de *Juris interpretatione*, § 2, num. 7, ubi fusius probat, quod interpretatio in hoc posteriori sensu sit proprie interpretatio, quæ postea præcipue subdividitur in correctivam, restrictivam, et extensivam, de quibus infra, num. 365, et seqq. dicetur.

356. *Clausula quod statuta aliqua non recipiant interpretationem, quid operetur?* — Insuper ex dictis patet intellectus illorum statutorum, in quibus cavetur, quod statuta intelligi debeant secundum litteram, et quod non recipiant interpretationem. Interpretatio enim est, cum a verbis receditur, d. c. *In his. de Verb. signif.* cum aliis hactenus allegatis; ergo stante tali statuto fieri non potest: et si fiat, non valet. l. *Non dubium, C. de Legibus.* Albericus a Rosate *Tractatum* tom. II. tract. de *Statutis*, quæst. 133, n. 7, Potest tamen fieri declaratio verborum talis statui, arg. cit. cap. *Exiit. §. Itaque, de Verb. signif.* ubi prohibita qualibet Glossa sive interpretatione dictæ decretalis, permittitur expositio litteralis verborum ipsius. Et per hoc patet ad alteram partem propositæ quæstionis, quid videlicet sit interpretatio proprie dicta.

357. *Interpretatio ex parte causæ efficientis, quomodo dividatur?* — Queritur II. Quibus modis dividatur interpretatio? Resp. I. Ex parte causæ efficientis, sive interpretationum, videlicet interpretatio principis, consuetudinis, judicis, et magistrorum. Ita Glossa fin. in can. *Sicut enim. §. Ex his. 11. q. 1.* et Glossa in c. 1. vers. *Interpretatio.* et ibi Abbas n. 18. de *Postulat. prelat.*; Fagnanus in c. *Cum venissent*, n. 1. de *Judicis*, et alii. Ratio est, quia omnes prædicti possunt legem interpretari, quamvis non eodem modo, nec pari cum efficacia; cum interpretatio principis sit necessaria et generalis, non idem cæteræ, ut mox amplius dicetur. Unde

358. *Interpretatio ex parte causæ efficientis, quomodo dividatur?* — Resp. II. Juxta prædictas quatuor species interpretatio ut sic recte dividitur in necessariam, seu authenticam, et in non necessariam, seu mere probabilem et doctrinalem; ex quibus prior subdividitur in necessariam generalem, tum scriptam, tum

non scriptam, et in necessariam particularem seu non generalem. Ita Glossa, et Abbas, ubi supra, cum aliis; atque patebit ex declaratione singulorum membrorum. Et quidem

359. *Interpretatio necessaria, seu authentica.* — Interpretatio necessaria, seu authentica generatim est illa, cui necessario est acquiescendum, et quæ vim legis obtinet. Nam, ut l. *Minime*. 22, ff. *de Legib.* dicitur, « Minime sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt: » junctis textibus in progressu allegandis. Porro hæc interpretatio subdividitur in necessariam generalem, scriptam, et in necessariam generalem non scriptam, et in necessariam non generalem, seu particularem. Ex quibus

360. *Tum generalis scripta.* — Interpretatio generalis scripta dicitur illa, quæ datur a principe legislatore, vel ejus successore, atque vim legis obtinens ad omnes subditos generaliter extenditur. De hac fit mentio in l. 9. et 10. et l. ult. *C. de Legib.* ubi summarium inquit: « Ejus est legem interpretari, cujus est condere. » Et in c. *Inter alia* 31. *de Sent. excomm.* ibi. « Unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat, » cum similibus. Quod intelligendum est de necessaria, decisiva, seu authentica, simulque generali interpretatione, quæ vim habeat legis generaliter omnes subditos obligantis: nam, « quod principi placuit, legis habet vigorem, » prout habetur l. 1. ff. *de Constit. princip.* et §. *Sed et quod.* *Instit. de Jure nat. gent. civil.* Et hujusmodi *Interpretatio* dicitur *scripta*. Non quod scriptura sit de ejus substantia, sed quia scriptura communiter in ipsa intervenire solet; simulque ad differentiam interpretationis consuetudinariæ, seu per consuetudinem introductæ: sicuti his ipsis de causis lex, dicitur *Jus scriptum*, ad differentiam videlicet juris consuetudinarii, quod *Jus non scriptum* appellatur, §. *Constat autem.* *Instit. de Jure nat. gent. civil.* et quia lex communiter scriptis consignari solet, ut ejus memoria melius retineatur, ut jam alibi dictum fuit.

361. *Tum generalis non scripta, quid?* — Interpretatio necessaria generalis non scripta, est ea, quæ habetur per consuetudinem legitime introductam: nam talis consuetudo etiam necessariam legis interpretationem affert, simulque generalem respectu eorum, apud quos consuetudo ejusmodi viget, quamvis ipsa non sit scripta. Unde l. *Si de interpretatione*. 26, ff. *de Legib.* dicitur: « Si de interpretatione legis quæretur, imprimis

inspicendum est, quo jure civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpretatio consuetudo. » Concordat textus in c. *Cum dilectus: de Consuetud.* ibi: « Contra consuetudinem approbatam, quæ optima est legum interpretatio; » cum concordantiis. Et merito; nam « Novitates plerumque querelas, et discordias pariunt, » juxta Hippocratis aphorismum, ac notatur in extravag. *Inter cunctas.* §. *Sane de privileg. Inter communes.* Unde provide monet imperator l. 3. ff. *de Constit. princip.* « quod in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est. »

362. *Interpretatio necessaria particularis, quæ?* — Interpretatio necessaria particularis, seu non generalis, est ea quæ fit per judicem. Nam judex imprimis potest interpretari sententiam suam, arg. l. *Paulus.* ff. *de Re judicat.* et l. *In ambiguus.* ff. *de Prætoris stipulationibus* ac notat Glossa, cit., cap. 1. §. *Interpretatus.* *de Postulat. prælat.* Deinde potest judex etiam interpretari leges quoad causas decidendas per eum, l. *Nam ut ait,* et l. *Non possunt.* ff. *de Legib.* juncta Auth. *Ut judices.* Collat. 9. cum similibus, ac notat Innocentius in c. *Cum speciali, de Appellat.* Abbas, in d. cap. 1, num. 20, *de Postulat. prælat.*; Romanus, consil. 93. et alii. Judex etenim est juris interpretis in causa dubia, ejusque sententiæ, tanquam habenti vim particularis authenticæ interpretationis, tenentur partes litigantes obsequi, nisi ad judicem superiorem appellaverint, cit. auth. *Ut judices.* Unde etiam sententia transit in rem judicatam, nisi appelletur c. *Quod ad consultationem.* 15. *de Sentent. et re judic.*

363. *Et cur sit dicatur?* — Cæterum hujusmodi interpretatio dicitur necessaria particularis, seu non generalis: quia licet partes litigantes necesse habeant eidem obsequi, nisi malint per legitimam appellationem ad superiorem provocare, sicque respectu partium ea merito vocetur necessaria, adhuc tamen talis interpretatio non est generalis; tum quia alii judices non tenentur judicare juxta interpretationem ab hoc iudice factam, et secundum quod iste judicavit; « nam non exemplis, sed legibus judicandum est, » l. *Nemo.* C. *de Sentent. et interlocut. omn. judic.*; tum quia res inter alias judicata, regulariter aliis non nocet c. *Quamvis* 25. *de Sentent. et re judic.* et c. *Dilecto.* §. fin. 25. *de Præbend.*

364. *Interpretatio non necessaria, seu probabilis, ac doctrinalis, quæ?* — Tandem interpretatio non necessaria, seu mere probabilis, ac doctrinalis (quam et scholasticam, sive magisterialem appellant) est illa, quæ a magistris seu doctoribus dari potest, et solet, l. un. *C. de Professorib. urbis Constantinop.* lib. XII. Et hæc probabilitatem dumtaxat affert, non autem necessitatem: unde huic necessario inhærendum non est, nisi concurrat communis doctorum consensus, aut alia meliora juris fundamenta non suppetant. Alioquin attendere oportet ad illud Imperatoris effatum, quod l. 1. §. *Sed neque.* *C. de Veteri jure enucleand.* refertur illis verbis: « Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius et æquius est, judicatore: cum possit unius forsitan, et deterioris sententia et multos, et majores in aliqua parte superare. »

365. *Interpretationis ex parte causæ formalis sunt quinque species.* — Resp. III. Interpretatio ex parte causæ formalis, seu naturæ ipsius interpretationis, dividitur in translative, declarativam, correctivam, restrictivam, et extensivam. Ita Glossa 2, in l. 1, ff. *de Orig. juris,* et l. 1. §. *Interpretatione.* ff. *Ad S. C. Tertulian.* Anchoranus in c. *Canonum statuta.* quæst. 14. n. 236. *de Constitut.* post Bartolum in l. *Omnes populi.* ff. *de Justit. et jure;* Albericus de Rosatis *Tractatum* tom. II. tract. *de Statutis,* quæst. 153. n. 11; Fagnanus in c. *Cum venissent.* n. 4. et seqq. *de Judicis.* ac alii. Idque probatur declarando singulas hasce interpretationum species. Et quidem.

366. *Interpretatio translativa.* — Interpretatio translativa est, per quam unum idioma transfertur in aliud: ut in c. *Propterea.* 8, *de Verb. signif.* et l. 1. §. fin. ff. *de Verb. obligat.* Atque in ista acceptance dicimur habere « Translationem septuaginta Interpretationum sacræ Scripturæ. » Hanc alio nomine Abbas in c. *Super questionum.* 27, nu. 8. *de Offic. delegat.* appellat « interpretationem linguarum: » de qua tamen in præsentia ex professo non est sermo.

367. *Declarativa, seu verborum expositiva.* — Interpretatio declarativa, sive verborum expositiva, idem est, ac congrua verbi, vel orationis expositio, ut inquit Bartolus l. *Ab executore,* §. *Quæro secundo,* ff. *de Appellat.* Unde hæc fit tunc quando quis interpretatur, sive declarat sensum, vel verba dubia alicujus constitutionis: de qua jam dictum supra num. 352

368. *Correctiva.* — Interpretatio correctiva fit, quando legum obscuritas, ac duritia humanæ conditioni incongrua, per benignam interpretationem mollificatur, corrigitur, seu emendatur. Textus est in l. *Leges.* C. *de Legib.*, ibi: « Si quis vero in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id imperatoria interpretatione patefieri, duritiamque legum nostræ humanitati incongruam emendare. » Concordat l. 1. §. *Qui operas.* ff. *Ad S. C. Tertulianum* ubi corrigendo rigorem senatus consulti Orficiani. locantem operas suas, ut cum bestiis pugnaret, ad matris hæreditatem non admittentis dicitur: « Sed humana interpretatione placuit eum admitti. » Notandum ly « humana interpretatione, » quæ tamen revera fuit correctio juris antiqui, sive senatus consulti Orficiani. Eadem interpretatio locum habet in aliis casibus, in quibus alioquin ex verbis legis, aut statuti, absolute ac generaliter intellectis resultaret iniquitas: ut si statutum quoslibet homicidas gladio feriendos decernat, recipit interpretationem correctivam, ut non comprehendat indeliberate, vel in amentia occidentes, neque eos, qui occidunt ad justam suam defensionem, et hujusmodi.

369. *Restrictiva.* — Interpretatio restrictiva dicitur, per quam verba legis, aut statuti, suadente sic æquitate, in sua generali significatione coarctantur, et restringuntur. Sic litteræ super obtinendis beneficiis ecclesiasticis, cum sint ambitiosæ, debent restringi; idque varie declaratur in c. *Quamvis.* 4. et c. *Cui de non.* 25. *de Præbend.* in 6. Similiter de hac restrictiva interpretatione procedit prior pars reg. 15 juris in 6, dicens: « Odiâ restringi, et favores convenit ampliari. » Et hac ratione, interdicto populo, non censetur interdictus clerus, c. *Si sententia.* 16; *de Sent. excomm.* in 6, haud obstante, quod in materia favorabili nomine populi etiam veniat clerus. Simile quid accidit in omnibus illis materiis, quæ dicuntur « esse strictæ interpretationis. »

370. *Et extensiva; et quid sint?* — Interpretatio extensiva dicitur ea, per quam fit ampliatio legis ad non expressa. Et de hac loquitur posterior pars cit. reg. 15, in 6, ibi: « Et favores convenit ampliari: » quod de interpretatione extensiva intelligitur. Idem habetur in c. *Olim.* 16, *de Verb. signif.*, ibi: « Beneficia principum sunt interpretanda largissime. » Et c. *Cum dilecti* 6. *de donation.* ibi: « In contractibus plena, in testamentis

plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio facienda, » cum similibus.

371. *Extensio legis, duplex: una proprie dicta, seu extensiva.* — Ubi notandum, quod extensio legis sit duplex, ut notat Sylvester vers. *Lex*. n. 18; Suarez, lib. VI de *Legib.* cap. III, n. 9; Layman c. *Translatio*. n. 4, de *Constit.*; Pirhing h. n. 111. et alii: quarum una vocatur extensio proprie dicta, seu mere extensiva; alia improprie dicta, sive comprehensiva. Ex his prior, videlicet extensio proprie dicta (quam etiam appellant extensionem legis extensivam, vel interpretationem mere extensivam). est illa, per quam cujuscumque legis decisio transfertur ad alium casum, vel personas, tam ultra verba legis, quam ultra mentem legislatoris, quamvis non contra mentem ipsius. Exemplum hujus habetur in c. *Cum dilecta*. 4. §. *Nos igitur de Confirmat. util.*, ubi Pontifex constitutionem illam juris civilis, quod testes valetudinarii, et alii, de quibus rationabiliter timetur, possint ad testimonium admitti, etiam lite non contestata, ne veritas occultetur. Suadente æquivalens similitudine extendit ad innovationem privilegii, aliorumque scriptorum instrumentorum, ne vetustate consumantur.

372. *Allera comprehensiva, seu inclusiva, et improprie dicta.* — Allera extensio, videlicet comprehensiva (quam etiam inclusivam, et improprie dictam vocant) est illa, quæ fit ultra verba legis, sed non ultra mentem legislatoris. Unde hæc tunc intervenit, quando decisio legis transfertur ad alium casum, seu personam non comprehensam tamen sub mente legislatoris: juxta quod I. *Scire*. 15. §. *Aliud*. ff. de *Excusat. tutor.* dicitur: « Sed etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult. » Verumtamen hæc non est extensio, nisi improprie dicta: nam ad id proprie non dicitur lex extendi, quod deprehenditur ex tacita, et conjecturata mente legis, sive statuentis, ut inquit Abbas in c. *Super questionum*. 27. n. 7. de *Offic. delegat.* post Bartolum, et Joan. Andream; ac sequitur Felinus d. c. *Super questionum*. n. 3. post Glossam cap. 1, vers. *Italia. de Temporib. ordinat.* in 6. Si quidem anima legis est intentio legislatoris; ac proinde illud, quod venit ex mente legislatoris, nequit proprie dici extensio legis, cum comprehendatur, atque includatur in ipsa; unde et hujusmodi extensio speciali nomine appellatur comprehensiva.

374. *Interpretatio authentica legis, an debeat publicari, ut obliget? Rationes sententiae negativæ.* — Quæritur III. Utrum interpretatio authentica legis per principem legislatorem, vel ejus successorem facta, debeat publicari ea solemnitate, qua lex, ut obliget? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi est; tum quia interpretatio legis ab initio jam inerat legi, sicque una cum ipsamet lege sufficienter censetur promulgata, arg. auth. *De raptis mulier.* §. fin. collat. 9. ibi: « Tanquam si lex a principio cum interpretatione tali promulgata fuisset. » Tum quia hac ipsa de causa declarationes sacre Congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum non solent publicari, et tamen, si exhibeantur in forma authentica, habent vim obligandi, juxta dicta in præmio, n. 130. et seqq.

374. *Affirmativa concluditur tenenda, loquendo de interpretatione proprie dicta, seu quæ legi intrinsece non inest.* — Resp. I. Interpretatio proprie dicta, seu quæ legi intrinsece inest, ut sit authentica, et omnino sequenda, debet publicari ad instar legis. Ita Suarez, lib. VI. de *Legibus*. cap. 1. n. 3; Castro Palao, part. I. tract. III, disp. 6, punct. 3, I §. n. 2. et seqq.; Bonacina, Salas, et alii. Ratio est, quia publicatio vel est de essentia legis, ut volunt Thomistæ, vel saltem conditio necessario requisita ad inducendum ejus obligationem, ut volunt Scotistæ; ergo sicut ipsa requiritur ad hoc, ut lex obliget, ita etiam ut obliget ejus interpretatio, quando hæc non inerat legi a principio, prout censetur non inesse interpretatio proprie dicta, et quæ non est mera legis declaratio.

375. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Nec urgent rationes dubitandi in oppositum allatæ. Nam quod attinet ad allegatum textum juris, ibi facta fuit sollemnis publicatio dictæ imperatoris interpretationis, licet cum addito, ut ea ad præterita, et adhuc pendencia negotia extendatur; prout hoc ipsum, si expresse caveatur, potest accidere in legibus, ut habeatur cap. ult. h. t. cum concordantiis. Unde textus ille potius militat in oppositum.

376. *Mera legis declaratio non est publicanda, bene tamen interpretatio legis proprie dicta; et cur?* — Nec obstat, quod interpretatio legis jam inerat ipsi legi a principio, et una cum ipsa sufficienter censeatur esse promulgata. Resp. enim hoc esse intelligendum de interpretatione legis large dicta, seu quæ est mera legis declaratio, quamque Baldus in

cap. I. n. 17. de *Constitut.* et Fagnanus in c. *Cum venissent*. num. 5. de *Judiciis*. appellant intrinsecam, substantialem, et inseparabilem a lege, utpote cui inest, atque ex ejus visceribus trahitur; unde merito, præsertim si sit clara, et manifesta, ulteriori publicatione non indiget. Secus dicendum de interpretatione proprie dicta, extrinseca, et accidentali legis; ut est correctiva, restrictiva, et mere extensiva, qualis non ita legi inest, quinimo solum ratiocinando, ac per discursum ex sententiâ seu mente legis deducitur, arg. I. *Nominis et rei*. ff. de *Verb. signif.* et I. *Qui testamento*, 20. §. *Mulier*. ff. de *Testament.* ad quam proinde, ut sit authentica, et vim obligandi obtineat, requiritur specialis publicatio, eo quod sit separabilis a lege, et huic intrinsece non inest.

377. *An publicentur declarationes cardinalium?* — Ad declarationes cardinalium respondetur, conformiter dictis in præmio, num. 134 et 135, etiam illas publicari, quando eduntur per modum novæ legis (unde hæc ex parte stant pro nostra conclusione), quamvis non sit necesse eas publicari, quando continent meram legis jam præexistentis declarationem; nam hæc proprie, ac stricto loquendo, non est interpretatio juxta dicta num. 352, de qua impræsentiarum sermo est. Accedit quod declarationes cardinalium nullam faciunt fidem in judicio, vel extra judicium, nisi afferantur in forma authentica, solito sigillo, et suscriptione emin. cardinalis Præfecti, ac secretarii ejusdem sacre Congregationis munitæ, prout liquet ex decreto Urbani VIII 1631, die 2 Augusti emanato: simulque ex recepto usu, et consuetudine constet hujusmodi solemnitatem haberi pro sufficienti dictarum declarationum publicatione. Castro Palao, loc. cit. n. 6; Emman. Rodericus tom. I. *Quest. regul.* g. 14, art. 2; Garcias, tract. de *Beneficiis*, in præfat. ad lectorem; Salas, et alii.

378. *Epicheia, quid?* — Quæritur IV. Quid sit Epicheia, quomodo differat ab interpretatione, et an quandoque locum habeat? Resp. I. Epicheia est benigna legum interpretatio secundum æquum et bonum, declarans casum aliquem particularem ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales sub lege universaliter lata non esse comprehensum. Nam in omnibus causis potior debet esse ratio æquivalens, quam stricti juris, I. *Placuit C. de Judiciis*.

379. *Et quomodo differat ab Epicheia?*

legis. — Resp. II. Epicheia differat ab interpretatione legis potissimum in hoc, quia per hanc interpretamur verba legis, quando sunt obscura, seu ambiguum sensum reddunt; per Epicheiam vero interpretamur mentem legislatoris, ubi constat de universali verborum sensu; dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularem ob certas circumstantias voluerit, vel potuerit comprehendere sub generali locutione legis. Unde tunc vel maxime verificatur illud c. *Intelligentia*, 6, de *Verb. signif.* « Quia non sermone res, sed rei est sermo subjectus; » cum concordantiis.

380. *Est quandoque locus Epicheie.* — Resp. III. Certum est quandoque esse locum Epicheie in casu aliquo particulari ob certas circumstantias concurrentes. Ita communis doctorum; et ratio est, quia « Ex iis, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur, » ut notatur L. 4, ff. de *Legibus*. Nam legislator in lege ferenda communem reipublicæ utilitatem considerare, ac proinde ad id potissimum attendere debet, quod frequenter et facile accidere solet: et quæ semel, vel bis accidunt, contemnunt leges. » L. 5. ff. eod.

381. *Idque exemplificatur.* — Si igitur casus aliquis particularis occurrat (prout nonnumquam fortuito accidere solet) in quo lex generaliter lata deficiat, adeo, ut vel iniquum foret, eidem in talibus circumstantiis obedire, vel saltem nimis grave ac difficile, ut proinde lex in tali casu non censeatur obligare: tunc locus erit Epicheie, per quam lex illa secundum æquum et bonum judicetur hic et nunc non obligare. Sic stante lege municipali, ne tempore hostili portæ civitatis aperiantur, adhuc istæ per Epicheiam possunt, ac debent aperiri, si cives hostium impetum fugientes in civitatem sese recipere velint: alioquin enim ex observantia litterali legis illius resultaret iniquitas, et impietas erga proprios cives. Idem dicendum in aliis similibus.

§ XVI.

DE REGULIS IN LEGUM INTERPRETATIONE
GENERATIM OBSERVANDIS.

382. *Legislator, ejusque successor, majori cum libertate interpretatur legem, quam inferior.* — Circa interpretationem legum communis est attendendum, utrum ea fiat per seipsum, vel per aliquem in se